

Q D. B. V.

**M E M O R I A M
V I R I**

*DE JUVENTUTE SCHOLASTICA
MERITISSIMA,*

**D N . M . C H R I S T O -
P H O R I V O G E L I I ,**

**N U P E R I N H O C G Y M N A S I O
R E C T O R I S ,**

A D D . XXVIII . M A R T . M D C L X X I X .

S U B M O D E R A M I N E

C H R I S T I A N I V V E I S I I ,

N U N C R E C T O R I S ,

L O C O S P E C I M I N I S V A L E D I C T O R I I ,

R E C O L E N T

J U V E N E S I N A C A D E M I A M D I G R E S S U R I ,

G E O R G I U S F R I D E R I C U S G a u s t / P o l o n u s .


F R I D E R I C U S Klinger / Zitt. Luf.

J O H A N N E S G E O R G I U S G l y h / Z i t t a L u f .

H . L . Q . S .



Z I T T A V I A E ,
LITERIS MICHAELIS HARTMANNI



Annus fere præterlapsus est,

ex quo

Dn. CHRISTOPHORUS VOGELIUS,

& morbos, & vitam,

& Gymnasii hujus Rectoratum depositus.

Vir omnino dignissimus,

qui sedulitatem sæpius probatam,

in novis Juvenum exemplis, pari felicite repeteret.

Optaverunt id omnes Boni,

Quibus tum Scholæ, tum Reip. salus optandi materiam dabat;

Imprimis autem turbari suos circulos

dolebant optimi Auditores,

qui non nisi hac manu transmitti volebant Studiis Academicis.

Quin etiam meus dolor non mansit in occulto,

five succedendum esset Amico integerrimo,

five Soror me adspiceret Mariti successorem.

Proinde, quod mortales expectant à mortalibus,

Parentandi destinaveram officium,

[cui gratulandi meum debitum offerri non posset.

Commodam verò nunc occasionem suggerunt,

Juvenes politissimi,

tanto quidem huic argumento aptiores,

quantò majorem VOGELIO impenderunt industriam.

Vel ne desit Mysterium:

FAUSTIUS Theologicis Studiis invigilaturus,

KLINGERUS Jurisprudentiæ datus operam,

GLYTZIUS jam ad Medicinam respiciens,

in id consenserunt,

ut servaretur fidelissimi Præceptoris memoria:

Gnari

Trium Facultatum alumnos laudando vix assequi posse,

Quod omnium Facultatum futuri Auditores,

ab hoc Magistro percepissent.

Theologi encomium requirit pietas;

AICto laudari postulat animi integritas;

Medici admirationem meretur

non abjecta in acutissimis morbis diligentia.

Tales igitur futuri sunt, qui laudes inchoant,

Tales erunt, qui continuandis laudibus ingenium impendent.

Per tales vivacior post mortem apparebit,

VOGELIUS.

Nunc

Nunc vero florebunt Gymnasi Auditores,
Quia flores etiam decerpunt à Præceptoris sepulchro:

Nunc ingrati non discedent,
Siquidem ultra vitam extenduntur pietatis studia:

Nunc sibi gratulabitur successor:
quippe de morte triumphantem spectat Antecessorem.

Utinam sic faveant Nobilissimi Hospites,
ut faventes eosdem VOGELIUS est expertus.

Neq; indignabuntur audire Historiam,
cujus magnam partem ipsi, vel juvando, vel pro-
movendo, vel defendendo confecerunt.

Attigerat ætatis annum quinquagesimum,
sibi certe non Jubilæum,
si diutius interfuisset mortalium querelis.

Patrem amiserat Puer,
ne desperaret à prole satis minorenni digressurus.
Paterna beneficia percepereat è manu agnatorum,
ut sciret, quorum fidelitate succrescere possent sui.

GVEINZIUM audivit,
quò meliorem Rectorem Saxonia non tulit:
sic è vivo exemplo Rectoris cognovit exemplar.

Lipſiam coluit,
quia curiositatem excitare poterat MULLERUS;
Jenam quæsivit,
quoniam diligere inceperat WEIGELIUS.

Nobilibus animis innotuit,
ut magis innotesceret ZITTA VIÆ.

Lipſiam rediit,
ut inveniretur à ZITTA VIENSIBUS.
Inter hæc HEVELII oblatum contubernium,
ut ab isto, quasi emptore, jūdicaretur rei pretium.

KEIMANNO succeſſit,
Omen à germinibus accipiens,
quibus non infident Aves, niſi adultis.
Sic enim promittebat germina, ſed matura.

WEISIANA M duxit Filiam,
ideo ſibi charam,
quod SOCER nihil amaret, niſi Scholam,
iſtumq; firmo ſemper affectu eſſet amplexurus,
qui ſecum in amanda Juvenum Salute conſpiraret.

Quid multis?
Laborando vixit, vivendo profuit.
Unam deplorans vitæ Calamitatem,
quod neq; ſtans mori,
neq; jacens à morte vindicari poſſet.

Ob-

Obdormivit tandem,
qui somnum mortis fratrem s̄æpe invitaverat;
In cœlis capiens sanitatis fructum,
si Terra morbos quoq; sensit haud infœcundos.
Justa nunc tardiora exhibent Auditores,
quorum manu dimissus antea fuit in tumulum.
Agnoscat Deus manum lingvamq;
meliore semper fortuna dignissimam.
Faustius è nomine discat, fausta fore omnia,
quæ per discessum adeo honorificum acclamantur:
Klingerus ea imposterum prudenter tinniat,
quæ utinam laudatissimus Frater sonare potuisset diutius:
Glyzius Græca origine dulcedinem innuens,
Patriæ nec amarus evadat nec ingratus.
Hæc precatur manus Præceptoris:
Hæc ut acclamanti succinere possint Patres,
nemo non invitabit,
qui vel invitantem dilexit VOGELIUM,
vel nunc invitantem non oderit successorem.
Floreant, succrescant, fructificant!

P. P.

Zittaviæ d. 26. Mart. M DC LXXIX.

